

Jacob Fabricius

Rector Academiae Rostochiensis, Jacobus Fabricius, Archiater & Professor ordinarius, ac Collegii Medici Decanus, In Festivitate Pentecostes, qua Sanctissimus Spiritus, sub specie ardentium linguarum, visibiliter in Apostolos essusus, & ad primam D. Petri Concionem, tria millia Animarum conversa sunt, Academiae Cives, ut sequentibus aliquor diebus, Magnalia Dei, publicis Concionibus tractanda, ea, qua par est, diligentia & attentione, Audiant Et Considerent, rogat & serio hortatur

Rostochii: Pedanus, 1632

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734605773>

Druck Freier  Zugang



R. U. Progr. 1632

1) Thomas Lindemann

2) Jacob Fulvicus

3.

"

"



RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,
JACOBUS FABRICIUS,
Archiater & Professor ordinarius,
ac Collegij Medici DECANUS,

IN FESTIVITATE
PENTECOSTES,

quâ Sanctissimus Spiritus,
sub specie ardentium lingua-
rum, visibiliter in Apostolos effusus,
& ad primam D. Petri Concionem, tria


millia Animarum conversa sunt,

ACADEMIÆ CIVES,
ut sequentibus aliquor diebus,


MAGNALIA DEI,
publicis Concionibus tractanda,

quâ par est, diligentia & attentione,
AUDIANT ET CONSIDERENT,

rogat & seriò hortatur.



ROSTOCHII,
Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ.
Anno M. DC. XXXII.



RECTOR
Academiae Rostochiensis;
JACOBUS FABRICIUS
Archiater & Professor Me-
dicinae ordinarius.

SI Nativitatis, Resurrectionis & Ascensionis Dominicae Solemnia omni devotione digna censemus, etiam hodiernam lucem, quae Spiritus Sancti miraculosa super Apostolos, quinquagesimo post festum Paschatos Judaici die, cum insigni Hierosolymitanorum stupore facta, memoratur effusio, merito sanctam venerabimur, cum Davide ex Psalmo 72. exclamantes: Benedictus Deus, qui facit mirabilia solus. Est siquidem praesens festivitas, festivitatum festivitas, & solemnitatum solemnitas, utpote quae, Chrysostomo docente, nobis terra facta est caelum, non stellis de caelo in terram descendentibus, sed Apostolis ad caelos ascendentibus, quando Deus & humani generis servator JESUS CHRISTUS, tandem aliquando, juxta saepius per Prophetas iterata vaticinia, Spiritum Sanctum illis, sub visibili linguarum ignitarum specie, misit. Quae quidem solemnis Spiritus sancti missio contigit ante annos

1599.

1599. completos, anno mundi, juxta sacrarum literarum, & veterum Chronologorum documenta, 4004. sub initium anni à Christo nato trigesimi quarti, ut numerentur anni 1550. inter hoc tempus & migrationem Israelitarū ex Ægypto, duce Moise anno Mundi 2454. institutam; quam paullò post in deserti Sinai Monte, Horeb, 1516 annis ante Natalem Christi, quæ accidit anno Mundi 3970. publica Legis divinæ seu Decalogi, Dei digito in lapideas tabulas consignati, inter fulgura & fulmina, subsecuta fuit promulgatio.

Solemniter & cum magnâ jucunditate Israëlita suum Pentecostes festum, in laudatissimam recordationem latæ Legis veteris testamenti, quinquagesimo ab interitu Pharaonis & Ægyptiorum in mari rubro, suoque per hoc libero transitu die, celebrarunt; quidni ergo & nos Christiani, nostram Pentecostes festivitatem, quâ quinquagesimo, aut præter propter, à Resurrectione Christi, humani generis servatoris, die, Sanctissimus Spiritus, qui ut August: ait, digitus Dei est ad charitatē, Apostolis datus, eoque rigor legis Mosaicæ mitigatus est, nosque ab hujus maledictione liberati sumus, insigni cum animi nostri gaudio laudemus & colamus? Frustra siquidem Dei filius ex Mariâ semper virgine carnem, adsumpsisset, & nobis natus esset: frustra tot amarulentis illusionibus exagitatus, crucifixus & mortuus: frustra gloriosissimâ victoriâ redivivus surrexisset, & lætissimo Triumpho in cœlum, quod antea ob peccatum, nobis erat occlusum, ascendisset, nisi quoque Spiritum suum sanctum misisset, cujus ope & ductu ad sublimia, ista & ingentia dona ac bona fructuose percipienda, præparamur, & sanctificamur; ut propterea rectissimè Bern-

hardus scripserit : Post magnificentiam Resurgentis, post gloriam Adscendentis, post sublimitatem Residentis, nihil restabat, nisi ut expectata justorum lætitia veniret, & cœli munere cœlestes homines implerentur. Quocirca & hæc dies est illa, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea: omnes gentes plaudite, festos choros ducite, imò omnes hoc certatim agite, ut anniversarium de Spiritus Sancti adventu honorantes diem, quotidie ipsum ad nos castis operibus & castis pectoribus invitemus. Sancti estote, quia Dominus Deus sanctus est, à quo venit, sanctus est hospes, qui venit, sanctum est medium, per quod venit, sancti sunt homines, ad quos venit, sancta denique diei lux est, in qua venit.

O utinam ex illo pœnè innumerabili numero, non ~~cecum~~ mihi linguas, quod in gravissimis argumentis canorum votum Poetarum esse solet, sed unam ejusmodi, Apostolorum similem, obtinerem, quâ τὰ μεγαλὴα τὸ Ἰεῦ, non confuso aliquo aut obtuso murmure, sed perspicuâ elocutione, complecti, ac Spirabilis Numinis ad nos properantis infinitum beneficium gratâ laudatione recolere & prædicare possem! Apposire autem hac vice, & hodie à nobis piè recoli posse existimo, si inter veterē atq; hodiernum spiritum, discrimine facto, quid intersit, recte consideremus. Neque enim sine Spiritu vivebat Antiquitas: Audiebatur olim, qui petrarum dura contereret, qui montium profunda subverteret, sonoras exspirans minas, ruinasque Spiritus, sed non in Spiritu Dominus: Etenim tunc sui parcus & paucis mortalium intellectus, suas blanditias castis animis auribusque tenuis auræ sibilo infusurrabat Deus: Reliquæ verò mortalitatis sensus ad obstrepentium libidinum Catadupa hebetatus, cœlestis murmuris suavitate parùm adiciebatur. Et ut rem hanc clarius exprimam, *In veteri Testamento* restricta erant Spiritus Sancti donatantum ad populum Israeliticum, ideoq; angustiis terræ Judaicæ limitibus.

limitibus concludebantur, utpotè cujus populos in peculiis, in regnum sacerdotale, in gentem sanctam sibi præ universis nationibus cæteris elegerat Deus. *In novo* illa eadem, super omnem creaturam rationalem, quæ totius orbis terrarum patet ambitus, largissimâ ubertate effusa sunt: Testis est immenso abscessa intervallo extrema India, ad quam vehemens hic sonus adeò celeriter penetravit, ut adfulgentis Numinis illapsum tam verè senserit, quàm olim falsò matutini Solis vicinos ortus, strepitumq; currus Luciferi exaudire diceretur. Testis est torridus Africa tractus, qui divinarum flammaram adflatu geminatis caloribus jucundius æstuavit. Testis est gelida Scythiæ regio, quæ a verfo atq; avio Sole, melius incaluit Deo. Testis est Ægyptus, quæ sacro cœlestium linguarum delinita concentu, superstitione & flagitium sonantia sistrâ damnavit. Testes etiam, ut oras tacitam infinitas alias, Græcorum Academiæ & Lycæa, cum igneis linguis magistris Deum tandem didicerint, cœcutientem deducti sapientiam, quæ quantum pervideret, ostendit, dum aras inscriberet IGNOTO DEO. *In veteri testamento* non promiscuè omnia omnibus, sed sub certâ personarum, generis, sexus, ætatis, profelytarum, alienigenarum, saminarum, servorum restrictione; potiora Patriarchis, Prophetis, Sacerdotibus, Leviris conferebantur, & ut Macarius ait, vigente umbrâ legis, virtus divina aderat justis, & interius apud illos habitabat gratia divina, neq; aliter operabatur in Prophetis, quorum animis suppediabat Spiritum prophetandi, dicendiq; mundo res insignes, cum exigeret utilitas: siquidem non passim loquebantur, sed quando placebat ei, qui in ipsis erat Spiritus. *In novo testamento* nulla habitâ ratione personarum, sexus, ætatis, generis, Patriæ, status, aut similibus conditionum, omnibus petentibus pariformiter conferuntur; hinc non est masculus & fæmina, gentilis & Judæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scythæ, Servus & liber, sed omnia & in omnibus Christus. *In veteri testamento* Christi incarnandi cognitio, sub variarum Revelationum, Prophetiarum, visionum, somniorumq; medijs, Ceremoniarum deniq; & Sacrificiorum involucris; *In novo* autem Christi incarnati beneficia plenissimè & planissimè citr aumbras, Revelationes & similia

proponatur ab ipſo filio, ut & propterea longè major & perfectior ſit Chriſti cognitio in hoc, quàm illo: *In veteri ſervi, in novo præſens Dominus nobiſcum loquitur: ibi promittitur, hic impletur; ibi initiũ, hic perfectio:* Id quod & omni teſte major ipſa quotidie docet Experientia, quando nunc, etiam minorenes, pueri ac puellæ, ſervi & ancillæ, redemptionis noſtræ myſterium multò explicatius intelligunt, quã olim ſortaffe aliquis ex præcipuis Sacerdotibus & Judæorum primatibus; nucleumq; ſalutis ac conſolationum Chriſtianarum ex Pſalmis, idque genus aliis Scripturæ dictis, prout ſeſe vel fortunata, vel adverſa ingerunt, depromptum, maſculè & piè, ad multorum sæpè ſtuporem, interdum & in ipſo mortis agone conſtituti, in uſus ſuos flectere ſciunt. O benefici Spiritus aureis flammis aureum ſeculum afflantis impetum ſalutarem! Non hic Nero quiſpiam, ſimilive trabeatus uſtor, ſeralem ſubdidit facem; at ipſe Deus, amor hominum, ſuum iniecit ignem, cujus comes validus ventus, longè lateque eum ventilando ſparſit, ut non unum terrarum punctum, Hieroſolymam, ſed cunctorũ populorũ oras efficaciffimã ſuã virtute invaſerit, ac nube omni penitus diſcuſſã optatiſſimam ſerenitatem induxerit. Et ut paucis multa complectar, hujus amoris animata ſpiritu Chriſtianæ Juſtitie fides, per medias hoſtium acies, per omnium damna rerum, per diſcrimina laborum, per famæ vulnera, per naufragia divitiarum, per excidia domorum, per incendia civitatum, per exitia corporum, per intenta Regum tela, per fulmina Cæſarum, albis victoriæ circumveſta quadrigis, impetum primum cæpit, ac ubique virtutis trophæum reportavit. Tanta nimirum Spiritus Sancti vis eſt, tantus ejuſdem fruſtus & effectus. Quin imò, ſi undiq; circumſpiciamus, ac obvia quæque oculis noſtris notemus, nullum punctum temporis, nullam vitæ partem, nullum locum, amoris iſtius beneficentiſſimi Numine vacuum, reperiemus. Si enim ab incunabilis noſtræ ſalutis exordiamur; ille aquas incubat ſalutares: ille nobis ex Chriſti ſanguine renaſcentibus auram inſundit veræ lucis & vitæ; ille nos Deo, ille Deum nobis, & nos nobis, ac ſingulos ſingulis, & omnibus ſingulos, & ſingulis omnes conciliat, arctiſſimeq; conjungit: Ille animos Chriſti corpore


pore nutrit ad salutem, sanguine colorat ad gratiam, virtute corroborat ad pugnam, exemplo vocat ad mortem, morte traducit ad vitam: denique Domini nostri Jesu Christi doctrina, vita, virtus, illo præsentè Numine, jucundissima beatæ vitæ lux est, illo absente labor, angor, mœror, ærumnæ, cruciatus: ille ille fons est aquæ vivæ vivus, ille dulcis hospes animæ, dulce refrigerium, ille in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium, lavans quod est sordidum, rigans quod est aridum, sanans quod est fauciu, flectēs quod est rigidū, fovens quod est frigidū, regēs, q̄ od est deviu. Huj, sine Numine, nihil est in homine, nihil est innoxiu.

Quæ cuncta cum sint opera verè & merè divina, Spiritū Sanctum etiam verum Deum indubitato demonstrant: opera siquidem testantur de potentia: Potentia verò & essentia divina realiter unum sunt, cum in Deo nihil, quod non substantia sive Deus ipse sit: Spiritus Sanctus itaq; cum Patre & filio essentia revera unus, adeoq; verus, naturalis, essentialis cum Patre & filio Deus est, diversa tamen & à Patre ac Filio distincta Persona, quarum una divinitas, atq; æqualis gloria & cœterna majestas, ineffabili mysterio, fide potius amplectendo, quam ratione perscrutando: Neque enim hominis fuerit intelligentiā sapienter utentis id eloquendo persequi velle, quod intelligendo consequi non possumus, ac quod veneratione melius, quam prædicatione celebramus. Quò respexit vetus Scholasticus Biel scribens: Dignè loqui de personis, vim transcendit rationis, quid sit nasci, quid processus, me nescire sum professus. Quorum omnium seriâ consideratione, quis non cum Augustino altâ voce ingeminabit? Magna est Dei misericordia, qui dat donum sibi æquale, quia donum ejus Spiritus Sanctus est: Sicut pia mater infantibus suis præbet ubera duo, sic Pater dedit nobis Filium ad redemptionem, Spiritum Sanctum ad sanctificationem: Hæc duo ubera sunt vino pulciora: Nunc impletum est promissum Patris, Dominus Jesus Christus adscendit, Spiritus Sanctus descendit: Magna planè gratia, duplex gaudium, quod abeuntem Christum non amiserimus, & venientem Spiritum possidemus: Illum enim retinemus fidei merito, hunc sanctificationis accessu: Quanta, quam ineffabilis hæc est pietas Redemptoris! Hominem portavit ad

vit ad cœlum, & Deum misit ad terram. Ecce iterum nova de
supernis medicina mittitur: Ecce iterum infirmos ipsa Majestas
visitare dignatur: Ecce iterum humana divinis jungatur, &c.
ô itaque duri & indurati & obdurati filij Adæ, quos non emollit
tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam
vehemens amator, qui pro vilissimis sarcinulis preciosas merces
exponit! Ut verò ille nobis sua dona largiter indulgeat, devotâ
Cypriani precatone quotidie eum intimis cum suspirijs invoce-
mus: Adesto Sancte Spiritus, & paraclesin tuam expectantibus
illabere cœlitus, sanctifica templum corporis nostri, & consecra
in habitaculum tuum: desiderantes te animas tuâ præsentia læ-
tifica, dignam te habitatore domum compone, adorna thalamum
tuum, & quietis tuæ reclinatorium circumda varietatibus virtu-
tum, sterne pavimenta pigmentis, niteat mansio tua carbuncu-
lis flammæis & gemmarum splendoribus, omniumq; Charisma-
tum intrinsecus spirent odoramenta, affatim Balsami liquor fra-
grantia suâ cubiculum tuum imbuat, & abigens inde, quidquid
est tabidum, quidquid corruptelæ seminarium, stabile & perpe-
tuum hoc facias gaudium nostrum, & creationis tuæ renovatio-
nem in decore immarcessibili solidas in æternum. Cæterum
de hisce ac similibus cum hodiè & aliquot proxumis diebus
publicè in Ecclesiâ doceatur, rogamus & seriò monemus, ut A-
cademiæ nostratis cives, tum totius vitæ decursu, tum imprimis
Spiritu Sancto destinatis ferijs, se & studia sua tanto Ductori re-
genda committant, neq; helluationibus, aliâque morum petu-
lantiâ pias ac devotas mentes turbent, aut dolore adficiant; Deum
quoq; ardentibus votis orent & exorent, nobis tandem Spiritum
pacis elargiri, & illustrissimos nostros Evergetas, Duces Mega-
politanos, Dominos nostros clementissimos, in fatali hac re-
rum omnium conversione, gratiæ suæ alis inumbrare ac prote-
gere, & si quid porrò imminet mali, à tectis & cervicibus no-
stris arcere dignetur, idque propter Christum, Servatorem hu-
mani generis, cui laus & honor in seculorum secula. P. P. Ro-
stochij ipsis Pentecostes Solemnibus, sub Sigillo Magistratus
Academici, Anno M. DC. XXXII.



Bonem ἄσπον θύλακον vocitant, Sic
 tentofæ bibacitatis homo à Vop
 Lagena pendens dicitur. Et auc
 se calicum hyrudines egregium
 mium: Quæ gloria est, inquit, ca
 cum omnes viceris virtute magi
 tam vini capax fuerit, vinceris
 thagoram. scimus μεταμύχων
 tuisse ita ut crediderit homin
 bruta & vicissim brutorum in
 migrare pro ut affinitatem &
 jecti idoneitatem invenirent;
 Pythagoras revivisceret null
 porci animam in bacchantes n
 grasse diceret: Nec vero aliud
 losa involutra de Circæis pod
 narum cantu volunt aut innu
 ptatum millecebris incautos fal
 minibus in spurcas bestias tra
 nam naturalium rerum scripto
 hominem lacerare affectante
 vocem mittere; ut sævitiam h
 gine abdat. Haud secus infer
 vitiorum dulcedine hominib
 nec rictu suo immenso latissim
 devoret. Objicit sæpius mill



por-
 cum
 o de
 nco-
 cum
 nemo
 Py-
 sta-
 as in
 rans-
 sub-
 nunc
 quin
 nsmi-
 fabu.
 Syre-
 volu-
 x ho-
 Hyæ-
 orant,
 anam,
 s ima-
 Draco,
 ur, do-
 fto eos
 incau-
 stis;